



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXXIX. De Syndico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

QVÆRIS: Quæ hîc dicta sunt de matrimonio, vtrum etiam ad sponsalia transferri possint: Vt & ea specieate mandatum requirant, & Procurator alium sibi substituere nō possit, & post reuocationem etiam ignoratam inualidè contrahat. Responso est affir-

matia, cum Dominico hîc, ver. Quæro, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 11. n. 2. Quia sponsalia sunt via, ac dispositio ad matrimonium, ac proinde eius quodammodo naturam, ac condiciones participant, arg. l. oratio, 16. ff. de sponsalibus.

TITVLVS XXXIX. DE SYNDICO.

CAPITVLVM Vn.

Sicut.

PARAPHRASIS.



Regorius I. Papa in hoc c. ait, Se sollicitè curare, vt Monachi à forensibus litigijs abstineant, interim verò iura eorum ac bona non negligantur. Quamobrem mandat cuidam Subdiacono, vt Monasterij cuiusdam generalem Procuratorem, seu Syndicum, designato ipsi salario, constituat. Præstat enim, vt modicum aliquid expendant ferui DEI, quàm vt ipsimet forensium causarum strepitu implicentur.

SVMMARIVM.

1. Religiosi in causa monasterij ex mandato Prælati officio Procuratoris fungi possunt, consultius tamen est, vt Syndicum seu Actorem constituant.

2. Licet Religiosos deceat pacem & concordiam sectari, iura tamen & bona ecclesie sue defendere debent, nisi quòd scandali vitandi causâ interdum aliquid dimittere possint.

NOTANDVM I. Tamest Religiosi in causa Monasterij ex mandato Prælati Procuratoris officio fungi possint, c. 2. de postulando; c. insuper, 6. de testibus. consultius tamen est, vt ipsimet à forensibus iurgijs abstinentes, Syndicum seu Actorem constituant. Excipe cum Abb. hîc n. 4. Nisi Monasterium tam inops sit, vt salarium Procuratori dare non possit: vel nisi Procuratorem alium idoneum, aut fidelem acquirere nequeat.

NOTANDVM II. Tamest Religiosos deceat quàm maximè iurgia vitare, & quæ pacis & concordie sunt sectari; interim tamen iura ac bona ecclesie sue defendere debent. Nisi quòd vitandi scandali causâ interdum aliquid dimittere possint. Qua de re dixi lib. 2. Theol. moral. tr. 3. c. 13. n. 9.



TITV.